


99
12



Q. D. B. V.

SUFFICIENTIAM
DEMONSTRATIONUM EX HYPOTHESI

ad Convincendos

ΘΕΟΜΑΧΟΥΣ,

DISPUTATIONE PHILOSOPHICA
SUB PRÆSIDIO

M. JOHANNIS HENRICI

FEUSTKINGII, Holsati,

IN

ILLUSTRI ACADEMIA WITTEBERGENSI

Ad Diem Junii A. MDCXCIII.

H. L. C.

Publicæ Philosophorum

Επιπέσει

proponit

RESPONDENS

MATTHÆUS WEISE,

KLEIN-JAUER Lusat. Inf.

S. S. Theol. & Phil. Stud.

WITTEBERGÆ,

Literis CHRISTIANI KREUSIGIL



VIRIS,

Qvos adorea Virtutis gloriosa,
Et alacritas prudentiæ & meritorum animosa,
in Ecclesiam Orthodoxam & Remp.

literariam

dudum albis æternitati inscripsit punctis,

*SUMME REVERENDO, AMPLISSIMO
ET EXCELLENTISSIMO*

**DN. JOHANNI DAVIDI
SCHWERTNERO,**

Doctori Theologo consummatissimo, &
Superintendenti Pirnensi gravissimo &c.

Pariter ac

*PLURIMUM REVERENDO, PRÆCLA-
RISSIMO non minus ac AMPLISSIMO*

**DN. M. JOH. ANDREÆ
GLEICHIO,**

Ecclesiæ Torgensis Diacono meritissimo,
Philologo ac Theologo excellenti,

Nec non

PRÆNOBILISSIMO ac PRÆCELLENTI

DN. M. ABRAHAMO ZIEKIO,

Lycei Torgaviensium RECTORI celeberrimo,

*DNO Meccænati, Patronis ac Promotoribus maximis
hanc dissertationem*

animi veluti tabellam sponforiam ponit

MATTHÆUS VVEISE.



JESU Fortunante!

§. I.



Ogitanti mihi de materiâ nimis umbratili, quæque πρὸς τὰ ἀλφίτα faceret, illa, quam πῶνω συμμέτρῳ propono, occurrebat. Quamquam autem tanti momenti sit, ut optimo exercitato etiam crucem figere possit, tantaque contineat, ut videantur juxta *Homerum* ferme πάντα ἢ ἀναντα κάταντα πάραντα καὶ ὄχμια κείσθαι, excussi tamen verecundiam, nec ad Lugdunensem me aram dicere, nec in materia, bono Reip. nata, meliori damno frontem vel poni vel commasculari posse, ratus. Hac enim temporis periodo, ubi ΘΕΟΜΑΧΩΝ, in æternam vitâ salientes lymphas lymphaticè conturbantiū, feralia haud obvia sunt, quomodo ἰὲς ἀνιλέγοντας ἐλέγχειν *Tit. l. 9.* sustineamus, iis, in viretis sacris spatia conficere anitentibus, dispiciendum omnino est. Agedum ergò! consideremus, an scriptura sacra sit sufficiens ad convincendum omnem hominem? Indagabo ista, quæ sparsa hæctenus per saturam ab aliis fuerunt (pauci enim vadum hoc tentarunt) ac acroteriis tacta, propositurus cum *Magnifico Dn. D. Löscherō*: (ex disp. de tradition. pontif. semet ipsas evertentibus §. 1.) non aliã esse viã ad convincendos hereticos (ΘΕΟΜΑΧΟΥΣ) æquè planã, quàm si proprio jugulentur gladio, suisq; adeo principiis quæ intimè imbiberunt, tenaciterque tenent & defendunt, confundantur. Missã igitur ἔπεισιν ratione, cùm de disputatione καὶ ἀνθρώπων aut demonstrationibus ex hypothesis, tum ejusdem speciëbus usque,

A 2

qvi

218.
qui sese ad convincendos Θεομάχους, orci pabula, aut aliorum, qui Be-
lialis torrentes eructarunt, στόμα ἀθύρον obturandum, extendit, adum-
brabo, bilancem tamen æquam ita servaturus, ne εἰς τὸ ἄλλο γένος
μεταβαίνεν videar. Hanc telam nos σὺν ἡ ἀνοθευρωπῆ ὀρδιεμυρ.

§. II.

ΠΡΟΣ ἔπθ quæ faciunt, ilicet exponam. Disputatio in-
stituitur καὶ ἀνθρώπων, quæ alias disputatio personalis aut ad perso-
nam, ab objecto ita dicta, quatenus contradistincta est ei, quæ est
καὶ ἀλήθειαν, vocitatur. Hæc disputatio personalis meris constat
demonstrationibus ex hypothesi, quibus sententia verà alicui demon-
stratur ex principiis, quibus utitur aliquis (1) plurimum falsis, (2) nec
tamen primis aut radicalibus, quod primariū requisitū esse, cū *Alexan-
dro Aphrodisiensil. 4. Met. text. 28.* non negamus, proinde hæc mihi cum di-
sputatione καὶ ἀνθρώπων erunt προἰσδυναμῆσι. Res ex sequentibus
dilucidius dispalescet.

§. III.

Quicumque igitur in arenam conscendit, in eodem principio,
aut eadem conclusione, (potest enim conclusio primi principii prin-
cipium alterius conclusionis esse) ut cum Adversario conveniat,
necesse est. Nam, qui habet principium, ei facilius est invenire de-
monstrationem, dicente *Aristot. lib. 3. Rhet. c. 17.* Hinc inter com-
munes principiorum condiciones una quoque est illa, quod sint cer-
ta h. e. antea concessa, non ambigua, nec controversa. Omne enim
principium sit notius, at quod non est concessum, illud non est no-
tius, E. non est principium. Item principium certum sit extra con-
troversiam positum. Nam ambiguum per ambiguum demonstrari
non potest, quæ enim id, quod controversum est, potest ejus, quod in
controversiam cadit, principium esse, nisi frustra! Hoc *Patres* cum
contra gentes disputant, suo exemplo probarunt, ex iis principiis, apud
gentes minime controversis, argumenta ducentes. Ita *Rom. I, 19. 20.*
seq. adhibet electum DEI organon utriusque parti cognita argumenta,
secus enim qui faciunt, cum ratione insanire, omnes facile conjectura-
bunt. Ita cum Contradictentibus, aliisque, pluris favonium Vaticani
coeli, quæ auram gratiæ Christi facientibus, quando disputamus, præ-
supponitur, ut ex principio eodem disputationis serra instituat. Nam si pro principio venditent *Papam*, ejus auctoritatem susque deque
habemus, si *concilia*, ea errori obnoxia credimus, si *traditiones*, dubias
eas

eas pronuntiamus. Oportet igitur principium, è quo disputatur, esse notum & concessum, vel *jure*, vel *beneficio alterius partis*: Jure quidem, si verum & genuinum est principium; beneficio alterius partis, si non sit verum principium, tamen per *συγκατάβαση* Adversario conceditur; ita tamen, ut ad principia prima non contugiamus, aut axiomata.

§. IV.

Ponamus nunc, Antimachum non assurgere nostris, ex quibus differere satagimus, principiis, quid opus? Assumenda hinc sunt ea, ex quibus disputat Antagonista, principia, quæ licet falsa sint interdum, fiunt tamen vera, quod contradicens ea ut vera arripiat. Hinc *simpliciter* demonstratio non est, sed ut §. 2. dictum, demonstratio cum adjecta hypothese, & per consequens ex se inhabilis ad producendam scientiam. Ita si quis lumen intensionem & remissionem recipere statuat, idemque cum *Empedocle* asserat, lumen esse corpus, illi ex hac hypothese istius assertionis contrarium probari posset, quod corpus magis & minus non recipiat. Hinc demonstrationes ex hypothese audiunt; Quando igitur istiusmodi principia, è quibus ab Adversario concessis, aliquid contra ipsum concluditur, obvia existunt, utramque paginam facit disputatio *καὶ ἀνθρώπων*, quia à principiis & hypothese ab alio adprobatis, & ex hypothese veris, quæstio proposita demonstratur. Si enim principia in se vera sunt & suâ naturâ, non amplius est disputatio personalis, sed realis aut *καὶ ἀλήθειαν* talis, in quâ recurritur ad genuinum principium, maximeque verissimum.

§. V.

Formalis ergo ratio consistit insolenti abductione ab uno extremo ad aliud, vel ratio specificativa efflagitat, ut principia sint concessa, quibus distinguitur, ut dixi, à disputatione *καὶ ἀλήθειαν* aut syllogismo ostensivo, è principiis per se veris aliquid concludente, inde etiam audit *συλλογισμὸς δεικτικὸς & Πησιμονικὸς*, vim quandam habens *βιασικὴν*, principia enim considerat, quatenus in se vera sunt. Vid. *Barth. Viottum*, Philosophum quondam & Medicum Taurinensem, in aureo scripto *Demonstrat. lib. 4. c. 14.* Hæc quoque res totum negotium & dissidium componit, cujatis inter demonstrationes personales sit genuinum principium? Ita quando Lutherani de principio fidei agunt, contra Pontificios *καὶ ἀνθρώπων* de Pontifice R, de conciliis,

liis, traditionibus disputant, Pontificii contra ex scriptura καὶ ἀποστο-
λυ contra Lutheranos disputare dicunt, cum tamen nostrum princi-
pium sit genuinum & indubium, (si enim adhuc disputabile sit, spu-
rium esset principium) à DEO ipso traditum tanquam unica norma
& regula credendorum, ac morum in Ecclesiâ.

§. VI.

Quò putes autem, absit, Philosophicum disputandi modum esse,
ἀποδεικτικῶν analyticarum legum introducentem, ubi, veritate reli-
ctâ, quæ in principiis genuinis later, ad concessa disputamus, hoc enim
fieri adversario haud invito, haud invitus concedo. Nam sicuti non
licet conclusionem in argumento formaliter bono negare, quia neces-
sario ex præmissis infertur, sic quoque Antagonista illas cogitur ad-
mittere conclusiones, quarum principia ipsemet concessit. Nec du-
pium in hâc argumentandi ratione dubium manet, principium enim
in se falsum, ut genuinum agnoscitur, quo arrepto, verum est, non
quod in se verum sit, sed quod verum supponatur. Nec hic spurium
istud axioma, *si principium falsum, necesse est, falsas existere conclusio-
nes*, tenebras nobis offundit, dissipat enim easdem ipse Philosopho-
rum Phosphorus Aristoteles l. 2. post. anal. ubi contendit, *ex proposi-
tionibus falsis per accidens colligi posse conclusionem veram*, notanter
dicitur, *per accidens*; simpliciter enim, ut ex §. IV. constat, demon-
stratio non est, sicut nec accurata, nec optimæ notæ, sed mollioris bra-
chii & vilioris ordinis, uti Scheribus in *dissert. pro Phil. Per. p. 115.* lo-
quitur, ubi ex falsis aliquid demonstratur, sed tantum per accidens &
indirectè, ratio, quia sumit præmissam unam ut veram, alteram, ut fal-
sam, sed ut veram ab Adversario habitam, ut inde colligens manifestè
falsam, illam adversam positionem evertat, & primæ positionis veri-
tatem ostendat, cum contra demonstratio *κατὰ τὴν* talis, utramque præ-
missam ut veram arripiat. Cernimus proinde ex falsis sequi verum,
accidentaliter, h. e. propositionibus falsis contingit ratione formæ, ut
ex iis quandoque colligatur verum, (non autem vera scientia) sed non
ratione materiæ, quatenus falsæ sunt. Ὅτι οὐκ ἔστι δεικτικόν. vid. *Michael.
Eiffleri* subtilitas intellig. p. 36. Neq; semper opus est, ut omnia secundū
tenorem philosophicū & ἀποδεικτικῶν hâc quidē in re peragantur, suffi-
cit, si adversarius obmutescat. Nonne Salvator noster, Dæmonē, filia-
tionem

tionem ejus in dubium vocantem, ita perstrinxit & confudit. *Matth. IV. vers. 7.* ex voce *πέλιω* (hoc est, *rursus non contra*) ut ne contrahiscere quidem ausus fuerit? formalem tamen rationem, in qua falsitudo fuerit conspicua, neglexit. Quid? quod etiam veritatis inquisitionem agnoscat hæc disputandi ratio, quocumque etiam modo fiat; nam quemadmodum Christianus Magistratus, per falsos Deos aut idola ab Ethnico, aut à Judæo Christum & Evangelium non admittente, Juramentum exigere valet, modo Justitia conservetur, quis negabit id licere disputatori quo finali causæ sua constet gratia? Principia ergo sunt *θεσπια* & *ὑποθέσεως κριτήρια*, quæ à variis diversimodè supponi possunt; Sic cum *Cartesiano*, *Helmontiano*, *Fluddiano* Andabatarum more pugnabis, nisi in iisdem cum eo convenias principiis.

§. VII.

Fas ergo duco, sæpe non ex rei veritate, sed ex suppositis argumentari. Ipsum *λόγον ὑποθετικόν* hunc modum procedendi neglexisse, aut non ratum habuisse, *πῶς καὶ λαΐς* inficiamur. In mysteriis, quæ *ὑπὲρ νῦν, ὑπὲρ λόγον καὶ ὑπὲρ πᾶσαν κατάληψιν*, cum *συγκολληθῶσι πρὸς τὰς ἀνθρώπους* conspicitur, processus instituitur *καὶ ἀνθρώπων*. Nubem testimoniorum, si chartæ spatium permitteret, afferre sustinerem, ut tamen summa sequar rerum fastigia, quædam delibabo, quæ ad nostram Andromachen spectant. *Matth. XIX.* in hominem, Justitiâ legali suffarcinatum, quærentem *v. 16. τί ἀγαθὸν ποιήσω, ἵνα ἔχω ζωὴν αἰώνιον*, incidebat Christus, huic cum *καὶ ἀλήθειαν* ex *Acton. XVI, 31. πίστευσον ἐπὶ τὸν κύριον Ἰησοῦν χριστόν, καὶ σωθήσῃς*, respondere debuisset, *καὶ ἀνθρώπων* respondet: *τήρησον τὰς ἐντολάς. v. 17.* Restant alia exempla, ubi ex principiis non primis sed suppositis cum Judæis disputavit Christus, quæ cum per compita vicosaque decantata sint, sufflaminaturus, velites hujus certaminis dimittam.

§. VIII.

Autoritate Apostolica methodum firmatam jam dabo. *Apostolus Tit. I, 12.* Cretensium mores juxta disciplinam Ecclesiasticam taxaturus, non exteræ limæ, sed domestici scriptoris, quod pondus insigne habere asserunt Pithanologistæ, aut Philosophi Dialectici, *Epimenidus*, Poëtæ Cretensis, Philosophi, & templi Mitræ i. e. solis
facer-

Sacerdotis *Vid. D. Hieronym. in cap. 1. ad Tit. v. 13.* testimonium citat, quò melius Cretensis testimonio fidem adhibeant Cretenses, quos late tenero Evangelii instruebat Paulus, Tarsense illud oraculum. An autem testimonium illud sufficiens fuerit, negant multi, & ad ravim usque pernegant, imo, sicut ex ore *D. Morhofii* percepi, ante lustrum in Batavia *θεόμαχος*, *Christianus Scharwangerius*, inter alia, quibus *ὕγιανέσην διδακταλίαν* invertere annis fuit, hoc argumento, quod indissolubile jactitavit, usus est: *esse in sacra Scriptura αὐτίς ῥέφοντα*: Citat enim Paulus (ita sensus erat Scharwangerii) mysticum Epimenidem, omnes Cretenses esse mendaces affirmantem, si hoc, & credendum esse Epimenidi, & non esse credendum sequitur, quia universalitas ista, qua dixit omnes Cretenses sunt mendaces, comprehendit quoque *θεοφιλέστων* Epimenidem, qui & ipse Cretensis erat, adeoque mendax. Credendum autem, quia ipsi dicenti Epimenidi Cretensi, omnes Cretenses sunt mendaces, non sit credendum, adeoque Cretenses sunt potius veraces, & illis credendum, quia Epimenidi Cretensi credendum, ab Apostolo citato. Ita à divinis literis *Sophistica Harpyjae* non abstinent, quæ tamen instar *Achilleæ Panopliæ* objecit *Scharwangerius*, non heri aut nudius tertius excogitata sunt; *ἀκοντι* quoque ea exhibere sustineré, nisi jam tum notasset ea *Danbauerus* Id. B. Int. pag. 48. acutissimus *Christ. Donati* de argut. Veterum § 39. *Georg. Stengelius* de bon. & malo Syll. p. m. 104. Quid? quod hoc loco illud veterum *ἀλαζονεία τὸν ἔλεγχον ὀικοθεν ἔνεργει*, *Scharwangerio* os obdureseat. Haud obtorto collo huc trahes *Ati XVII, 28.* Citatur ibidem Poëta, quem *Aratum* esse, qui vixit A. M. 3670. constat, quod testimonium licet omnipræsentiam non probet in se, apud Athenienses tamen probare valuit, sed quomodo, eruditè demonstravit contra Neosophistas Batavos *Adrianum & Petrum de Walenburch* *Danbauerus* in *Polemosoph. sacr. p. 205. & 223 seqq.* Plura alia, loquentem quæ (cum *Flacco* loquor) delassare possunt *Fabium*, exempla adducere nefas ducò, alii hæc excutiant, cui enim non dictus *Hylas*?

§. IX.

Veterum si excutiamus scripta, simile quid deprehendimus. Ita cum *Marcionitis* disputabat, qui seculo tertio floruit, *Clemens Alexandrinus* lib. 3. *Strom.* Accusabant illi naturam, coitum maris cum feminâ

minâ sceleratum dicentes, ex eo, quod Christus dixerit, *Matt. XXII, 30.*
 ἐν τῇ ἀνάστασει ἔπι γαμήσιον, ἔτε ἐκγαμήζονται, intellectâ resurre-
 ctione spirituali regeneratione Spiritûs S. optimè hic *Clemens καὶ ἀ-*
θρωπον procedit, dicendo, si ita accipimus resurrectionem, nec come-
 dendum, nec bibendum est, quod Apostolus affirmet, *Rom. XIV, 17.*
 ἐκ ἐστὶν ἡ βασιλεία τοῦ Θεοῦ βρώσις καὶ πόσις. Hûc refer exemplum Au-
 gustini *lib. 20. de Civ. Dei c. 24.* Philosophum *Porphyrium*, Christianos
 stultitiæ arguentem, quod mundo interitum denuncient, convincen-
 tis. Vid. D. Thomasi *de Stoica mundi exustione* ex. 1. p. 1. Sic Ari-
 stoteles *lib. 1. Eth. cap. 9. & l. 10. c. 6.* contra Stoicos probaturus, S. B.
 non consistere in habitu virtutis, utitur hâc hypothese, contingere
 posse, ut quis virtuosus totâ vitâ dormiat, adeoque nihil operetur.
 Acutam quoque hujus generis disputationem cum *Eicadistis* institu-
 tam de statu defunctorum reperies apud *Ciceronem in Tuscul. quest. l. 8.*
 Ubi tandem *Epicureus* ad silentium redactus est.

S. X.

Si nostram intueamur ecclesiæ faciem, hâc insigni methodo usi
 sunt, qui orchestrâ ima spectant. Dictum à nobis fuit §. 3. de princi-
 pio fidei, quod aliud agnoscunt Pontificii, aliud Lutherani; concessio
 tamen illorum principio, ex hypothese saltem, plurimi nostratum,
 ex illis principiis Symbolizationem nostræ religionis cum Veteri,
 & Romanæ apostasiam ex inquilinis monstrarunt, quorsum spectat
Martini Chemnii examen Concilii Tridentini, *Job. Gerhardi* Bellar-
 minus orthodoxus, *Job. Georgii Dorschei* Thomas Confessor, *Job.*
Hülsemanni Anti-Hagerus, *Nic. Hunnii* Apostasia Romanæ Ecclesiæ,
 adde Magnif. Dn. D. *Deutschmanni*, Patroni ac Hospitis nostri co-
 lendi, *examen publica Reformatorum Matæologias*, ut & Excellentif-
 simi *Θαυμασίω* H. G. *Masi*, Theologi Hafn. Dissert. de *Pallio Pauli*,
 Cajetanum proprio gladio jugulantis. &c. Eâdem viâ Meldensem
 Episcopum *Jac. Benignum Bossuetum*, qui & in aliis dogmatibus, præ-
 fertim de Missa, notatus est cum *παρεστέρη* *Job. Dezio*, Jesuita Argen-
 toratensi, ab *ἀκριβεστάτῳ* Varniaco Theologo *Job. Fechtio* in dissert.
 Rostoch. circularib9; aggressus est *Dan. Severin. Scultetus* in Antidagm.
 ubi *Bossuetum*, decreta Concilii Tridentini mitigantem, de tolerantia
 Evangelicorum καὶ ἀθρωπον in ruborem dedit: vid. *præf. oper. Scul-*

B.

ter.



24.
tet. ut & c. 9. Alia dabit Magnif. Dn. Löfcherus, l. c. *Veneranda Fac. Theol. Witeberg.* in fideli admon. de Relig. Papist. fugienda ad Evangelicos in Bohemia perscripta p. 180. seqq. & desideratissimus noster *Waltherus*, Gamaliel meus, dum viveret, colendus in diss. *de Christi hominis ἀναμαρτησία* §. 6. seq. Nunc ad species via sternenda.

§. XI.

Species igitur disputationis, aut demonstrationum ex hypothesi explicabo; in eo autem omnes conveniunt, quod procedant ex concessis Adversarii, sive ea principia ad materiam aut ad formam spectent. Agmen ducat species *subsumptiva*, quando ex principio Adversarii subsumimus id, quod est contra ipsum. Exemplum esto *1. Cor. XV, 12. seqq.* quorsum spectat analogismus ex *commate 20.* Vid. *Danbau. l. c. p. 201.* Subsumptivam speciem excipiat *Reciprocativa*, cum argumentationem adversantis retorqueo in collum opponentis, & hac ratione argumentum plenarie non solvimus, sed adversarium iusto strategemate confundimus. Non pigror in medium afferre ultimam speciem disputationis *πρὸς τὸν θεόν*, uti *Aristot. l. 12. Met. c. 5.* audit, *retorsivam* scilicet, quando istiusmodi propositionem, quæ herbam nobis porrigere videtur, retinemus, cujus rei luculentissimum dabit exemplum mulier *Cananæa Matth. XV, 27.* Hæc & alia evincunt demonstrationum ex hypothesi *συναγωγίαν*, jam circa hanc dictionis ubertatem amplius non sectabor, sed inoffenso pede progrediar, usum earundem & sufficientiam in convincendis *ΘΕΟΜΑΧΟΙΣ* *strictim* adumbraturus.

§. XII.

Memoratum artificium ex congressu cum *Gentilibus* dispalescit, hos ex scripturâ, salvâ tamen *τῶν λογίων* & *Θεῶν* autoritate, convincere non sustines, quapropter alia assumenda principia sint, concessa ab Ethnicis. Exempla non invitus huc refer ex *Eusebio*, *Justino* &c. huic cum objiceret *Trypho*, incarnationem DEI esse ridiculam, & similem ei de *Perseo* ex *Virgine* prognato, responder. *Atqui ea stabilem meam in sacris literis cognitionem & fidem reddidere; quando enim Bacchum Jovis filium ex concubitu, quo cum Semele is mixtus est, natum esse dicunt, & hunc vitis repertorem fuisse, atq; dilaniatum mortuumq; resurrexisse, & in cælum ascendisse scribunt, ac vinum in mysteriis*

riis inicitūque ejus subinferunt. &c. Vid. *Dankbaurum* in *Christ.* pag. 611. Sed ad alios infideles κατ' ἐξοχήν tales, Judæos scilicet, modernos intelligo, progrediar, itidem splendidam lucis Evangelicæ faciem χειρὶν τε ποσὶν τε impugnantes, quorsum spectat evolutio tractatūs Cl. Reformatorem Theol. Joh. Hornbekii *de convincendis Judæis*, & Raymundi Martini *pugionis fidei contra Judæos*.

§. XIII.

Cui igitur Christiano res est cum Christiano aut etiam Pseudo-Christiani de divinitate Christi asserendā, ἀποδεικτικότητος eam asseret, si ad N. T. asyli instar confugiat, hæc enim scripta δύναμιν αἰαγαστικὴν habent, sive potentiam cogendi adversarium, ut istud credat, tanquam principium apud se concessum. Contra verò nequicquam ex eo argumentaberis, quod spurium agnoscit Recutitus, contra *Judæos*; Quisnam ergo Mercurius hoc loco nobis est asci-scendus? Afferendum V. T. Cabbala, aut Rabbiorum placita, *istud* licet habeat σκίαν μελλόντων ἀγαθῶν, hæc sit probabilis, nisi prorsus falsa, pro genuinis tamen & sufficientibus singula æstimantur & dignoscuntur, & eo ipso fit probandi principium, quod *Judæo* sit notum. Cabbalæ sicut mirifice deditus erat *Job. Picus*, Comes *Mirandulanus*, sic quoque in *Apologetico* p. 175. eam ad convincendos Judæos sufficientem esse contendebat; ita enim in thesibus 900. Romæ affixis: *nulla scientia naturalis magis nos de divinitate Christi, quam Magia & Cabbala certificat.* Cui *Job. Reuchlinus*, dictus *Capnio* ab *Hermolao Barbaro*, apud Diabolū *significationis vocis Aristotelica* ἐπιτελεχίας inquisitore, *Ægidius Viterbiensis*, *Petrus Galatinus* (cujus libri an ὑποβολιμαῖοι hæc quidē vice non discutiam) & *Angelus de Burgo novo* succenturiantur. De singulis speciebus Cabbalæ *Gematrīa*, *Notarjekon*, & *Temurab*, B. Havemannus in *der Begeleuchte P. I. c. 2. p. 20. seqq.* ubi de Ver. T. Cabbala, autoritatibus Rabbiorum (licet usum argumentorum è Rabbiniis κατ' αἰθρωπῶν depromptorum in convincendis Judæis exiguū, aut planè nullum opinetur Doctissimus, si quis alius, *Jacobus Gousset Limborchiomastyx*, in *præf. ternian. controu. contra Judæos*) agit, consuli potest. Ita conversus Judæus *Elchanan Paulus*, contra Verporum propaginem tractatu conscripto, B 2 (demon-

demonstrat ex Cabbala desumptis testimoniis LXXV. Jesum nostrum Nazarenum, esse verum & promissum Messiam, frustra expectato ab iisdem adhuc alio; & Ludovicus Carrettus, Regis Christianissimi Archiater, Deo ita moderante, ipsa hac adducto motusq; arte factus est Christianus, sicut ipse refert, quod nomen **ישו** tot structuris & dimensionibus ex V. T. elici posse videret. Ita per Cabbalam **בטריוקן** secundum scripturam dicta capitales literae ex sequentibus vocibus eliciunt nomen **ישו** Gen. XLIX, 10. Psal. LXXII, 17. Psal. XCVI, 21. Simili modo per Cabbalam **בטריוני** ex structura arcae Noachi Gen. VI, 15. templi Salomonis, Reg. VI, 7. pronno alveo fuit nomen **ישו**: Hac omnia licet probabilitatem in se foveant, nec tanti momenti sint, sicut ea esse deprædicant superiores Cabbalæ basiatores, præsertim Carrettus, & Picus, Concordiæ & Mirandulæ Princeps Italus, ad convincendos tamen Judæos, etiam pertinacissimos, aliquid momenti afferre, cum B. Sennerto de Cabbala p. 51. W. Schikardo in **ב"ה** p. 68. & D. Pfeiffero de nomine **ישו** §. 21. hariolor.

§. XIV.

Hactenus de iis dixi, extra ecclesiæ pomeria vitam degentibus, aliorum **Φοβητὰ ἀνομοίᾳ**, ad quæ se extendunt demonstrationes ex hypothesis in convictione, (non conversione) notare animus meus fert. Cum *Atheis* mihi nunc res erit. Horum principia si assumis, res erit in vado. Magna tamen consideratione & accuratâ contemplatione est opus, judice B. Dorscheo l. 2. confid. Met. c. 1. quest. 1. diff. 4. ut veritas illa de existentia Dei efficaciter persvadeatur ob Atheorum perversitatem, & rationum Philosophicarum varietatem, ob principia apud nonnullos diversa. Non igitur assumenda principia, quæ ab ipsis Philosophis in dubium vocari possunt, nisi Adversarius illa concedat. Absurdi igitur sunt, ad meridiem plane cœcutientes, qui *τὸ esse* Deum, aut aliud *ly esse* e.g. spectrorum &c. ex sacris pandentis contra eos, atheismum aperto velo profitentes, ejusq; virus non manu, sed toto ferentes thylaco, probare satagunt, quippe qui negat causam principalem (DEUM) negat etiam causam instrumentalem (defæcato termino, verbum Dei revelatum) quomodo autem ex eo, quod negat, negantem convincere sustines? præstet, qui vir est. Scripturam enim ignorant Athei (ignorantiâ licet vincibili & voluntariâ) notitiam Dei *supprimunt*, ac principia Theologica derident.



dent. Ita qui vomicas & carcinomata nostri ævi, maledictum scilicet *Benedictum Spinozam & Thomam Hobbesum*, Philosophum Malmesburiensem, Virorum *θεοπνεύτων* placita, ut *propria ipsorum cerebelli phantasmata* agnoscentes, ex literis divinis refutare præsumeret, quod spectra neget, nonne turpissimè se daret? Co fugiendum ergo ad aliud principium, licet non sit proximum & radicale, non quod scriptura sacra sit insufficientis objectivè, (insufficienciâ scilicet ipsius objecti) neutiquam, sed subjectivè, respectu subjecti (Athei) ipsam sufficientiam ex merâ *ἀδιάρτη ψία* agnoscere recusantis, ut sic defectus sit in Atheo, non in scriptura, sufficiente & ad convincendos, convertendos & confundendos *θεομάχους*. Scriptura enim cum non habeat superiorem, disputat cum negante *sua* principia, argumentando quidem, si adversarius aliquid concedat eorū, quæ per divinam revelationem habentur, sicut eo modo ex hypothesibus scripturæ sacre recte disputamus contra eos, v. g. *Spinozam, Cartesianos*, qui easdem convellere annituntur, sicut exempla lectu obvia sunt apud Doctissimū *Petrum Poirettum* in cogit. Ration. & *B. Schomerum* de differentia union. personal. & Mysticæ. Sic etiā per auctoritates scripturæ sacre argumentamur contra hæreticos, & per unū articulum contra negantes aliū. Si vero Adversarius nihil credat eorū, non amplius manet principium, in re scilicet negatâ, nec via ad probandum, aliter enim procedere, mihi sane est *συνιαμαχῆν καὶ ἀπελατῆν*. Hinc alii eminentioris naris Viri aliam emetiri voluerunt viam, quemadmodum ingressus istam *Nicolaus Rudbekius*, Episcopus Arosiensis, de Atheista errorum suorum convincendo, & in veritatis viam reducendo, *J. C. Sturmius*, p. 473. Phil. Eccl. *Theophilus Spizelius* de Atheismo eradic. p. 121. seq. *Job. Belinus*, Bellicensis, in rationibus Christianismum convincentibus, demonstrandi methodo adductis. Paris. 1664. *Henricus Smith*, in æterno Evangelio, seu Christianæ veritatis vindiciis adversos Atheos, aucto à *Thomâ Draxo*, ut & in primis Reformationum Philosophus *David Derodon*, qui ex Philosophiæ naturalis principiis, quæ illi admittunt, cum temerario molimine omnia vel intra naturæ terminos compingant, vel ad æternam causarum connexionem referant, ad Dei existentiam argumentatus est, quanquam in non paucis quoque bonus *Homerus* dormitarit, sicut id quemlibet satis edoce-



28.
bit *αὐτοπτία*, ubi tales ponit hypotheses, quæ non majorem in se veritatem continent, quam axiomata, ut vocantur, Metaphysica, ad quos griphos quàm forti opus sit phantasiâ, in disco solis positum est.

§. XV.

Videbimus nunc de nostra methodo, ad demonstrandam DEI existentiam. Sequar autem morem Metallurgorum, qui scoriis remotis, demum verum metallum inveniunt, sic statua nostra Mercurialis devias ostendet, quò rectam incedamus viam. *Thomas Campanella* in *Ath. triumph. c. 2. fol. 4.* ex tribus primalitatibus seu eminentiis potentiam, sapientiam, amore, existentiam Dei demonstrari posse, contendit; at lauro opus habeo, quam mordeo, cum ea, quæ de primalitatibus affert *Campanella*, inspicio, sequeretur enim Deum ex his primalitatibus esse essentialitatem, quod dicere *ἀπορον* duco. *Renatus Cartesius*, Gallus, Philosophus acutissimus omne hinc tulisse punctum videtur, dum talè ad convincendos Atheos excogitavit methodum, ut omnem, quam hactenus de nobis habuimus cognitionem, ex animo radicitus extirpandam esse jubeat, *princip. Phil. P. I. med. 1. pag. 5. & pag. 8.* Remotis cognitionibus, sui ipsius existentiam probandam esse *Cartesius* vult, *med. 2. pag. 2.* Demonstratam sui existentiam progreditur ad demonstrandam entis summi existentiam, quam propullulare dicit ex propria existentia *Cartesii med. 3. p. 16. princip. Phil. P. I. pag. 5.* At quid judicandum de hac *Cartesiana* methodo, legitimis mediis destituta, foret, ne prolixitatis tedium incurram, sufflamabo, alii hæc anticiparunt. Alii contra aliis satis salebrosis viis ad metam hanc, Diaboli manu, devenire non dubitarunt: *Gabriel Vasquezius* tom. I. disp. 20. c. 4. & *Philippus Faber Faventinus* disp. 1. Phil. adv. Atheos c. II. p. 118. à magicis effectibus motivum contra *θεομάχους* desumi posse, existimant. *Marius Mersennus*, in fumoso Comm. ad c. 1. Genes. duodecim rationibus, quarum ultima ex tota disciplina *ἐγκύκλιος* desumpta est, arma arripere voluit: Diffusissima ipsius *κατασκευή*, quam excipit proluxa & accurata *ἀνασκευή* in denigratione ratiuncularum Atheisticarum, etsi in quibusdam Lectori, ut & ipsis Antimachis, tenebras offundat, luce tamen sua non est defraudanda: conf. *Tb. Spizel. Ep. de Ath. erad. p. 51. seq.* Ubi varias vias recenset, quantaque cura adhibenda sit, imprimit, nec malè, cum præeunte



229.

eunte B. Calovio nostro, tom. II. system Theol. p. 113. *Difficile sit, Atheos solide refutare, ac Dei existentiam probare.* Ad nostram progredior Andromachen.

§. XVI.

Optimum nostrum judico processum, qui à principiis concessis, in ratione fundatis, institui potest. Rem uno aut altero exemplo planā reddam. Mundum esse, omnes Athei sensibus percipiunt, mirantur, eiqve injuriam fieri putat ipse *Lucilius Vaninus*, τῶν ἀθέων Apostolus, siquid aut melius, aut pulchrius censeatur. Hic vel ab æterno est, vel in tempore esse cepit. Non illud, realiter puto, quotidie enim res vivæ videntesq; pereunt, quas perire etiā vident ipsi Athei (Ergo hoc) ulterius, mundo est, ergo vel factus est vel non est factus, si est factus, aut à se ipso extitit, aut nullā sui causam habet. Non extitit à se ipso, quia sic fuisset, antequam esset, neqve etiam nullam sui causam habet, Ergo factus est ab alio. Habet ergo aliquam sui causam. Ea aut est ens creatum, aut increatum. Non illud, quia nihil agit ultra vires proprias, egisset autem, si è nihilo aliquid produxisset, quod potentia infinitæ est. Ergo mundus factus est ab ente increato & infinito, quod DEUS est. Hoc unum esto experimentum! De modo ΘΕΟΜΑΧΟΤΕ stringendi ex eo, quod movetur ab alio movetur, differentē audies J. B. Niemeierū de existentia DEI contra *Benedictū Spinozam*, & J. C. Vaninum: conf. etiam *Lambertum à Veltbuysen* de cultu naturali contra *Spinozam*, ubi ex *Spinoza* principiis, *Spinozam* jugulat. Aliud propono κρησφύγετον, videlicet pessimi, qui in patria meā, veluti cancer in venusto corpore, vitam degit, *Matthia Knutsii*, *Holfati*, in suis schedulis dispersis, ea duntaxat existere, qua sensibus obvia sunt, crocitantis, neqve nos ad assentiendum eis arripi, quæ nos fugiunt, & nunquam in conspectum venerunt. Assumamus nunc istam hypotheseim, egregio scilicet! huic Viro dignam. Dicas quæso, *Knutsi* an tu oculatus testis atomorum gyrantium? num incontemplabiles propositiones, quas cognoscimus tantum cognitione objectiva & reflexiva satis contemplatus es? num perspicillo pulicario rerum ideas videre tibi contigit? Dubitas porro de Deo, quod eum oculis haud usurpaveris; nec ego Lutetiam in Gallia, nec montē Tarpejum in Italia, Londinum in Anglia, Glascoivium in Scotia, nec Harderwicum in Batavia huc usqve præsens spectavi, & tamen pro
explo-

exploratis omnes civitates recipiuntur, quanquam hæc aliorum testimonio credam. Quid mirum igitur, si præter hujus hominis, *εὐτηλίας τῆς διανοίας* correpti, deliramenta, dicere non dubitemus, DEUM esse, etiamsi *ἀόρατον* illam DEI essentia sensu aliquo cognoscere haud sustineamus. Vid. *Andrea Hagemanni* Brevem Manuductionem ad convincendos Atheos. c. 1 p. 6. & qui omnino meretur legi, Doctissimus Terminicola, *Mendoza* disp. Metaph. 20. p. m. 607. qui more suo h. e. acutè ΘΕΟΜΑΧΩΝ rationes invertit, atq; ex illis ipsissimis Deum esse firmiter demonstrat, nec non Doctor Collegii Regii Nemausensis in Galliâ *David Derodon* in dissertat. Theologicâ de *existentia Dei*, Genuæ apud Petrum Chover 1661. edita. Plura exempla ex penu *τῆς φιλοσοφίας* promere possem, nisi ab aliis quos palmâ lemnicatâ reportare, nullus ambigo, qui *κατ' ἀόρατον* de existentia DEI contra Atheos disputantes, ex parvulâ Microkosmi particula aut alio quopiam principio, eandem existentia divinæ lucem elucescere fecerunt, talia proposita fuissent, sicut hoc modo *Witeberga* DEUM, Excellent. & spectabilis noster DONATI, *ex manu humanâ*; curiosus STURMIUS *Altorfi Noricorum*, *ex oculi fabrica*. Clarissimus Dn. HAMBERGERUS *Jena*, *ex cordis inspectione* demonstravit, ut rationes sic affatim prægnantes adsint, quæ atheismum, *omnis nequitie seminarium*, sicut loquitur Doctissimus Gallus, *Petrus Daniel Huetius* in præfatione scripti *Demonstrat. Evangel.* quod tamen suos, & quidem maximos agnoscit nævos, satis extirpare & penitus evellere sustinent.

§. XVII.

Ita specimen quoddam Opistographicum hoc tempore, ubi *Θεομάχων βδελύγματα*, ut herbae irriguæ crescunt, proficuum, *ὡς ἐν κατόπρῳ* proponere haud fui piger. Si nil aliud, illud tamen reper effecit, non inanem illum laborem suscipere, qui neglectis genuinis principiis, hypotheticè cum Adversariis differere instituit. Hoc tentasse sufficiat, aliis, quæis svavius & magis, quam unâ vice, in anno Apollo risisse videtur, istud *Varenii* in fine Geograph. positum, oppositum esto!

*Palma in medio est posita,
rapiat qui potest.*



99 A 69 12

ULB Halle 3
002 721 678




sb.

VD 17

Recht a. Komm.







Q. D. B. V.
SUFFICIENTIAM
DEMONSTRA-
TIONUM EX HYPOTHESI

ad Convincendos
ΘΕΟΜΑΧΟΥΣ,
DISPUTATIONE PHILOSOPHICA
SUB PRÆSIDIO
M. JOHANNIS HENRICI
FEUSTKINGII, Holsati,

IN
ILLUSTRI ACADEMIA WITTEBERGENSI

Ad Diem Junii A. MDCXCIII.

H. L. C.

Publicæ Philosophorum

Επιτιμῶν

proponit

RESPONDENS

MATTHÆUS WEISE,

KLEIN-JAUER Lusat. Inf.

S. S. Theol. & Phil. Stud.

WITTEBERGÆ,
Literis CHRISTIANI KREUSIGIL